

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Remuneratio c
cum fonte primo

Graue nimis est ut fructu laboris sui fraudetur industrius,
et cui debet pro sedulitate conferri premium,
dispendium paciatur iniustum,

et malorum omnium probatur extremum
ut inde quis cogatur detrimenta suscipere,
unde credebat auxilia prouenire,

molestiam pati sine causa, penam sine culpa, dampna sine debitis.

Cassiodorus ibidem (libro II. epistolarum).

Graue nimis est, ut fructu laboris sui fraudetur industrius
et cui debet pro sedulitate conferri praemium,
dispendium paciatur iniustum,
in ea praesertim re, quae ad nostram respicit largitatem:
ubi nihil debet licere negligentiae,
ne uideamur minus profutura sanxisse.

Aurelius Cassiodorus, *Variarum libri XII.*, 2.21.1 (CCSL 96,
A.J. Fridh ed., p.71, ll.2-6).

Detestabilis est quidem omnis iniuria
et quicquid contra leges admittitur iusta execratione damnatur: sed
malorum omnium probatur extremum
inde detrimenta suscipere,
unde credebantur auxilia prouenire.

Aurelius Cassiodorus, *Variarum libri XII.*, 4.27.1 (CCSL 96,
A.J. Fridh ed., p.159, ll.2-5).

Pertulimus talia, qualia et ipsos possunt offendere qui fecerunt,
insecutiones sine reatu, odium sine culpa, damna sine debitis.

Aurelius Cassiodorus, *Variarum libri XII.*, 10.32.1 (CCSL 96,
A.J. Fridh ed., p.415, ll.6-8).